



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 44. Transsubstantiatio a Luthero perperam negata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

charitas, & pax non esset dissolvenda, Sæcul. XVI.  
A.C. 1526.  
his ipse respondit: Quis ergo Carolsta-  
dium, ut litem ordiretur, compulit,  
quis Oecolampadium & Zwinglium ad  
scribendum adegit: *Maledicta sit in om-  
nem æternitatem illa concordia, ex qua mi-  
sere Ecclesia dilaceratur, & quæ conclu-  
ditur in præjudicium veritatis.* Ejusmodi  
argumentis Lutherus non raro Zwinglii  
Sectatoribus os obturabat.

## §. XLIV.

*Transubstantiatio a Luthero perpe-  
ram negata.*

Lutherus, quod proprium ac literalem  
Verborum Christi sensum tanta effi-  
cacia propugnasset, adeo vehementer læ-  
tabatur, ut haud continere se posset,  
quin jactabundus exclamaret: *Papistæ  
ipsi mihi concedere debent, me melius ipsis  
propugnasse sensum literalem, certus sum,  
si omnes in unam massam funderentur, non  
tam fortiter hanc veritatem defenderent.* Ast  
brevis in novum prolapsus errorem, tran-  
substantiationem negavit; idque illi  
Zwinglius, omnesque Figurati sensus  
defensores luculentis omnino argumen-  
tis exprobrabant; observabant enim,  
Christum non dixisse: *Corpus meum est  
hic, vel Corpus meum est sub hoc, & cum  
hoc, aut, hoc continet meum corpus, sed  
simpli-*

Sæcul. XVI. A.C. 1526 simpliciter *hoc est corpus meum*, illud igitur, inferebant isti, quod fidelibus dari voluit, non est substantia, quæ corpus suum continet, vel comitatur, sed solum ejus corpus, absque alia externa quavis substantia; nec etiam dixit Christus: *Hic panis est corpus meum* (quæ alia erat Lutheri explicatio) sed indefinite pronunciavit: *Hoc est corpus meum*, ut aperte demonstraret, substantiam, quam nobis præbet, haud amplius esse panem, sed corpus suum. Equidem Lutherus hæc verba ad hunc sensum detorquebat: *Hic panis est Corpus realiter & absque figura*, nihilominus præter intentionem per hoc propriam suam ipsius evertibat doctrinam; recte enim cum Ecclesia affirmari valet, quod panis fiat corpus, eo nimirum sensu, quo S. Joannes cap. 2. v. 9. asseruit: *Aquam vinum factum ad nuptias in Cana Galileæ*, id est, per transmutationem unius in alterum. Pariter asseri potest id, quod specietenus panis est, re ipsa esse Corpus Christi. Ast quod ex vero pane adhuc remanente simul eodemque tempore fuerit verum corpus Christi, ut contendit Lutherus, nullum omnino sensum facit, unde sensus figurati Defensores necnon ipsi Catholici propugnant, quod Lutherus, vel cum illis simplicem mutationem moralem, vel cum Papistis (ut appellitant Catholicos

licos) transubstantiationem admittentes  
 compellatur. Sæcul XVI.  
 A C 1526

## §. XLV.

*Alii errores Zwinglii de peccato originali, & Baptismo.*

Præterquam quod Zwinglius realem Christi præsentiam negaret, accusabatur etiam, quod peccatum, ut vocant, originale non admitteret, simulque assereret, ipsum hoc peccatum, prout est in filiis Adæ, non proprie peccatum esse, sed morbum, vitium, & miseram conditionem, nilque magis absolum, magisque sacris literis adversari, quam asserere, quod peccatum originale non solum morbus, sed etiam crimen sit. Ejusmodi principiis insistens Zwinglius, definit, homines nasci quidem ex proprio amore ad peccandum proclives, non autem peccatores, nisi forte ita dicantur in sensu improprio, quatenus pœna peccati pro ipso peccato accipitur; de cetero hanc inclinationem ad peccatum, quæ peccatum esse nequit, omne originis nostræ malum operari asserit Zwinglius; cum vero idem malum æqualiter a singulis hominibus per mortem Christi haud dependenter a Baptismo auferri contenderet, inde etiam inferebat: *Quod Baptismi lavacro nullum prorsus peccatum tollatur.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. G imo*